



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Hermes Theologicvs, Id est Synopsis totius Theologiæ, perspicuè, doctè, subtiliter, ac breviter discussa**

Et In octo Partes ... distincta ...

De Ivstitia Et Contractibvs


**Vindalium, 1646**

Cap. II. De actibus internis religionis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38850**

DE ISVTITIA. CAP. V. 159

secundum quod exhibet Deo debitum famulatum, in his quæ pertinent specialiter ad cultum diuinum, sicut in sacrificiis, obligationibus, & aliis huiusmodi: sanctitas autem dicitur secundum quòd homo non solùm hæc, sed etiam aliarum virtutum opera refert in Deum; vel secundum quod homo se disponit per bona quædam opera, ad cultum diuinum pertinentia.



CAPVT II.

*De actibus internis Religionis.*

---

SECTIO I.

*De deuotione & oratione.*

CONCLUSIO I.

**D**euotio est actus Religionis.) Antequam hoc probetur, supponendum est ex S. Thoma 2. 2. quæst. 82. art. 1. deuotionem dici à deuouendo, adeoque aliud nihil esse quàm, voluntatem quandam promptè tradendi se ad

ea, quæ pertinent ad Dei famulatum: quò fit vt deuoti dicantur, qui seipſos quodammodo deuouent Deo, vt ei totaliter ſeruiant. Hoc poſito.

Quòd deuotio ſit actus Religionis probatur art. 2. Nam ad eandem virtutem pertinet facere aliquid, & pròptam voluntatem habere ad illud faciendum; quia vtriuſque actus idem eſt obiectum. Manifeſtum eſt autem quòd operari quæ pertinent ad diuiſum famulatum, ad Religionem ſpectat: Vnde etiam ad eam pertinet, habere promptam voluntatem ad eiſmodi exequenda, quod eſt eſſe deuotum; & ſic patet quòd deuotio eſt actus Religionis.

Notandum autem 1. ex reſponſione 1. ad charitatem pertinere immediatè, quòd homo tradat ſeipſum Deo, adhærendo ei per quandam ſpiritus vnionem; ſed quod homo tradat ſeipſum Deo, ad quædam opera diuini cultus, hoc immediatè pertinere ad Religionem, & mediatè ad charitatem, quæ eſt Religionis principium.

Notandum 2. ex reſponſione ad 2. inter charitatem, & deuotionem eſſe mutuam veluti cauſalitatem, nam charitas deuotionem cauſat, inquantum ex amore redditur aliquis promptus ad

seruiendum amico. Et vicissim per deuotionem charitas nutritur; sicut & quælibet amicitia conseruatur & augetur, per amicabilium operum exercitium, & meditationem.

Notandum 3. ex artc. 3. deuotionem generari ex duplici consideratione quarum vna est ex parte diuinæ bonitatis, & beneficiorū ipsius; hinc enim excitatur dilectio, quæ & proxima deuotionis causa: alia ex parte hominis considerantis suos defectus, per quam excluditur præsumptio, quæ impedit ne quis Deo se subiiciat, dum suæ virtuti innititur.

Notandum 4. ex artc. 4. deuotionem per se spiritualem lætitiā mentis causare & per accidens tristitiā. Nam ex consideratione diuinæ bonitatis, quæ est præcipua deuotionis causa per se sequitur delectatio, iuxta illud Psal. 76. Memor fui Dei, & delectatus sum; sed per accidens hæc consideratio tristitiā quandam causat in iis, qui nondum Deo plenè fruuntur; secundum illud Psal. 41. Sitiuit anima mea ad Deum viuum, & postea sequitur. Fuerunt mihi lachrymæ meæ, &c. Consideratio verò propriorum defectuum, ex qua minùs præcipuè nascitur deuotio, per se quidem nata est

tristitiam causare, nempe recogitando proprios defectus; per accidens autem lætitiã, scilicet propter spem diuinæ subuentionis.

CONCLUSIO II. Oratio est actus Religionis. ) De hac agit S. Doctor 2.2. quæst. 83. per 17. articulos, quorum 1. docet, orationem non esse actum appetitiuæ virtutis, sed rationis; quia oratio hic sumitur pro deprecatione vel petitione; at deprecatio vel petitio ordinationem quandam denotat, prout scilicet homo disponit aliquid, per aliud faciendum; ordinatio autem ad rationem pertinet, ergo & oratio, quæ etiam eadẽ causa vocatur oratio, quasi oris ratio.

Art. 2. docet, conueniens esse orare, non vt diuinam dispositionem immutemus, ea enim immutabilis est, etsi necessitatem non imponat rebus humanis; sed vt impetremus, quod Deus disposuit per orationes sanctorum esse implendum.

Art. 3. docet orationem esse actum Religionis, nam ad Religionem pertinet, reuerentiam, & honorem Deo exhibere. Per orationem autem homo reuerentiam Deo exhibet. In quantum scilicet ei se subiicit, & proficitur orando.

se eo indigere, sicut authore suorum bonorum.

Artic. 4. docet, orationem porrigi alicui dupliciter, 1. quasi per ipsum implendam 2. quasi per ipsum impetrandam: & primo modo orationem porrigi soli Deo, quia omnes orationes nostrae ordinari debent ad gratiam & gloriam consequendam, quam solus Deus dat: secundo verò porrigi sanctis Angelis & hominibus, non ut per eos Deus petitiones nostras cognoscat, sed ut eorum precibus & meritis, orationes nostrae sortiantur effectum.

Artic. 5. docet, nos non debere à Deo petere ea bona, quae possunt malam euentum habere, quibus etiam potest homo bene, aut malè uti, qualia sunt diuitiae, honores, regna, splendida coniugia, &c. sed tantum ea quae malam euentum habere non possunt, seu quibus homo malè uti non potest: bona scilicet quibus beatificamur, & ea quibus beatitudinem meremur. Addit tamen art 6. nos licitè temporalia desiderare, & petere, non quidem principaliter, ut in iis finem constituamus, sed sicut quaedam adminicula quibus iuuamur, ad tendendum in beatitudinem.

Art 7. docet, charitatem requirere.

vt aliis bona optemus, adeoque vt etiam pro iis oremus. Et in resp. ad 3. monet 1. pro peccatoribus orandum esse, vt cōuertantur; pro iustis, vt perseuerent & proficiant. 2. orantes exaudiri pro prædestinatis, non autem pro præscitis ad mortem. Artic. verò 8. ait, orandum esse pro inimicis, ita scilicet vt sit necessitatis, eos non excludere à communibus nostris orationibus, quas pro aliis facimus; quod autem pro eis specialiter oremus perfectionis sit, non necessitatis, nisi in aliquo casu speciali.

Artic. 9 docet orationem Dominicam esse perfectissimam, quia non solum ponuntur omnia quæ desiderare possumus, sed etiam eo ordine quo desideranda sunt. Nam primò desideramus finē, vnde sūt duæ priores petitiones, quarum altera petimus gloriam ipsius Dei, altera nostram, quæ in Dei visione consistit. Secundò desideramus media ad talem finem, ac primò ea quæ per se ad illum conducunt, siue principaliter, quomodo est tertia petitio; siue instrumentaliter, pro quo est quarta petitio. Deinde petimus media per accidens, seu remotiones impedimentorum, quæ tria sunt, nempe peccatum, tentatio, & pœnalitas præsens, qua impedi-

DE IUSTITIA. CAP. II. 163  
tur sufficientia vitæ; & pro his auertendis sunt tres vltimæ petitiones.

Artic. 10. docet, neque diuinis personis, neque brutis animalibus competere orare, sed creaturis tantum rationalibus: eò quòd oratio est actus rationis, per quem aliquis superiorem deprecatur, Articulo verò 11. ait, Sanctos pro nobis orare, quia cum oratio pro aliis facta ex charitate proueniat, quanto sancti, qui sunt in patria, sunt perfectioris charitatis, tanto magis orant pro viatoribus, qui orationibus iuari possunt; & quanto sunt Deo coniunctiores, tanto magis orationes eorum sunt efficaces: habet enim hoc diuinus ordo, vt ex superiorum excellentia in inferiora refundatur, sicut ex claritate solis, in aërem.

Articulo 12. docet orationem communem, quæ per ministros Ecclesiæ in persona totius fidelis populi Deo offertur debere esse vocalem. quia alias non posset innotescere populo, pro quo profertur: orationem verò singularem, quæ à persona singulari quacunque siue pro se, siue pro aliis offertur non debere ex necessitate esse vocalem. Ei tamen posse vocem adiungi triplici ratione. 1. ad excitandam interiorem deuotionem. 2.



quasi ad redditionem debiti, ut scilicet homo Deo seruiat, secundum illud totum quod ex Deo habet, id est, non solum mente, sed etiam corpore. 3. ex quadam redundantia ab anima in corpus, per affectum vehementem, iuxta illud Psal. 15. Lætatum est cor meum, & exultauit lingua mea, &c.

Art. 13. docet, ut oratio sit meritoria, vel impetratoria, non opus esse quòd sit attenda per totum sed sufficere primam intentionem qua quis ad orandum accedit: requiri tamen attentionem ut oratio mentem spiritualiter reficiat. Notat autem triplicem attentionem adhiberi posse orationi, nempe ad verba, ad sensum, & ad finem orationis, scilicet ad Deum, & ad rem pro qua oratur; & hanc postremam ait maximè esse necessariam.

Art. 14. docet 1. orationem secundum causam suam debere esse continuam. Causa enim orationis est desiderium charitatis, quod in nobis debet esse continuum actu, aut virtute, eò quòd virtus huius desiderij manet in omnibus, quæ ex charitate facimus omnia autem ex charitate debemus facere. Docet 2. orationem secundum seipsam non debere esse continuam, quia vniuscuius-

que rei quantitas debet esse proportionata fini, quantitas potionis sanitati, vnde conueniens est vt oratio tantum duret, quantum vtile est ad excitandum interioris desiderij feruorem.

Artic. 15. docet orationem habere efficaciam merendi, in quantum procedit ex radice charitatis, mediante religione, & adiunctas habet quasdam virtutes ad meritum necessarias, nempe humilitatem, & fidem. Ad religionem enim pertinet, ipsam orationem Deo offerre, ad charitatem vero desiderium rei, cuius complementum oratione petit: fides autem est necessaria ex parte Dei quem oremus, vt scilicet credamus nos posse ab eo obtinere quod petimus; & humilitas est necessaria ex parte ipsius petentis, qui suam indigentiam recognoscit. Addit in responsione ad 1. orationem semper exaudiri, positus quatuor conditionibus; quando scilicet aliquis pro se petit, necessaria ad salutem, pie, & perseueranter.

Articulo 16. docet 1. peccatorem qui orat in quantum peccator, id est, secundum desiderium peccati, interdum exaudiri, non ex misericordia, sed ad vindictam. Deus enim quaedam negat propitius, quæ concedit iratus, vt ait Augu:

stinus tract. 74. in Ioan Docet 2. orationem peccatoris ex bono naturæ desiderio procedentem, à Deo exaudiri, non quasi ex iustitia, quia peccator hoc non meretur, sed ex pura misericordia; obseruatis tamen quatuor conditionibus ante memoratis, vt scilicet pro se petat, necessaria ad salutem, piè, & perseueranter. Notat autem in respons. ad 2. peccatorem piè orare, quia etsi habitu charitatis careat, petit aliquid ad pietatem pertinens; vnde etsi oratio illius non sit meritoria, est tamen impetratoria; quia meritum innititur iustitiæ, sed impetratio innitur gratiæ.

Articulo 17. docet, quatuor esse orationis partes, nempe orationes, postulationes, obsecrationes, & gratiarum actiones. Quia ad rationem tria requiruntur. 1. vt orans accedat ad Deum quem orat, quod significatur nomine orationis 2. requiritur petitio siue proponatur determinatè, quod aliqui vocant postulationem; siue indeterminatè, vt cum quis petit iuuari à Deo, quod nominant supplicationem, siue solum factum naretur, secundum illud Ioan. 11. Ecce quem amas infirmatur, quod vocant insinuationem. 3. requiritur ratio impetrandi

trandi

trandi quod petitur, & hoc vel ex parte Dei, vel ex parte petentis. Ex parte Dei est eius sanctitas, propter quam petimus exaudiri, & ad hoc pertinet obsecratio, quæ est sacra contestatio: sicut cum dicimus, Per natiuitatem tuam, libera nos Domine: Ratio verò impetrandi ex parte petentis est, gratiarum actio, quia de acceptis gratias agentes, meremur accipere potiora. Hæc est summa eorum, quæ S. Thomas quæst. citata de oratione fusè tractat, quibus nonnulla pro praxi addenda occurrunt, de horis canonicis: fit ergo.

---

 SECTO II.

*Qui teneantur recitare horas, & quomodo excusentur ab earum recitatione.*

## CONCLUSIO I.

**O**Rdinarij, beneficiati, & professi tenentur per se loquendo horas canonicas singulis diebus recitare. ) Vel, tres sunt tituli ex communi sententia, obligantes ad recitationem horarum canonicarum. 1. est Ordinis sacri. 2. Professionis Religiosæ ab iis emissæ, qui ad chorum sunt destinati, illi enim tenentur sub mortali officium recitare, etiam de Iust,

H

nullum factum ordinem susceperint. 3. titulus est beneficij Ecclesiasti, siue simplex sit, siue curatum. Quod extendi debet ad præstimonias, quæ sunt portiones quædam ex beneficiorum redditibus assignatæ, ad clericorum sustentationem in studiis. Item ad Capellanas collatiuas, quia verè sunt beneficia Ecclesiastica, cum à superiore Ecclesiastico conferantur, personæ Ecclesiasticæ, ad officium Ecclesiasticum. Et etiam ad Commendas, quia æquiparantur beneficio, cum Commendatarius habeat ius percipiendi fructus ex Cômenda, adeoque onera beneficij subire debeat. Non tamen hoc extenditur ad Coadiutoris neque ad pensiones quæ beneficiis imponi solent. Verùm qui pensionem habent titulo clericali, tenentur quotidie recitare officium B. Virginis.

Quæres I. quid dicendum sit, si beneficiarius paucos, aut nullos fructus ex beneficio percipiat. Respondeo. I. ex communi sententia, Beneficiarium teneri ad recitationem horarum etsi beneficij proventus valde sit exiguus. Ratio est, quia talis obligatio adiuncta est beneficio, sine vlla limitatione: at beneficium habens exiguos proventus, verum est beneficium, ergo, &c. Nec dicas, eiusmo-

di obligationem esse valde duram: tum quia potes facile ab ea te liberare, dimit- tendo beneficium, tum quia eadem o- bligatio est imposita iis omnibus, qui ad Subdiaconatum sunt promoti, etsi nullum beneficium pingue, siue tenue possideant: tum quia obligatio illa suffi- cienter compensatur, per varias prae- rogatiuas quae beneficiarijs concessae sunt.

Respondeo 2. eum teneri ad horas canonicas, qui sua culpa nullum fru- ctum ex beneficio percipit, vt si sit ex- communicatus, aut nolit residere, & c. Item eum qui in praesenti fructum non recipit, sed aliàs recepturus est, quia moraliter hoc aequialet actuali recep- tioni. Non tamen si iniuste omnibus fructibus, & spe in futurum eos recu- perandi priuetur: siquidem obligatio re- citandi officium dicit necessario ordi- nem ad stipendium vel receptum, vel recipiendum. Imò si quis vno anno ob sterilitatem, aliamue causam naturalem nullum fructum ex beneficio percipiat, probabile est eum non obligari pro eo tempore ad solitum horarum pensum, nisi stipendium illi aliunde suppleantur. Quia à parte rei non habet tunc bene- ficium, sed tantum titulum illius, quod ad praedictam obligationem imponen- dam non sufficit.

Quæres 2. quid dicendum sit de beneficiario, qui non possidet beneficium, sed solum habet titulum illius. Respondeo 1. cum per quem stat, ne beneficij possessionem capiat, teneri ad horas recitationem; quia æquum nõ est, ut ob malitiam illius, beneficium priuetur eiusmodi obsequio. 2. eum ad hoc non obligari, qui ab extrinseco impeditur, ne beneficij possessionem habeat; quia cum ille sine sua culpa, non percipiat stipendium ex fructibus beneficij, nulla est ratio cur teneatur officium persolvere. 3. eum tamen teneri qui possidet, & administrat beneficium litigiosum, quando moraliter certum est ei, licet à possessione ne deturbetur, fructus adiudicandos pro rata administrationis, quia illa moralis certitudo æquiparatur actuali perceptioni. 4. iniuste impediens ne alter possideat beneficium, peccare quidem, tale impedimentum iniiciendo, non tamen propterea teneri ad horas pro illo recitandas: quia etsi priuet Ecclesiam obsequio debito, non tamen propriè iniustitiam contra illam committit, sed contra beneficiarium, quare horas persolvere non tenetur, sicut non teneor audire Missam, etsi iniquè impediam ne alius ei intersit.

Quæres 3. an beneficiarij non recitantes officium, teneantur fructus restituere. Respondeo 1. eos teneri, qui post sex menses à beneficio obtento, officium non recitant, nisi legitimè excusentur, vt patet ex Concilio Lateranensi sub Leone X. & ex Pio V. in Constitutione quæ incipit. Ex proximo. Vnde colligi potest; officium non recitantes primis illis sex mensibus, non teneri ad restitutionem fructuum, etsi sine legitima causa non recitantes, peccent mortaliter. 2. non recitantem post sex primos menses, teneri ad restitutionem fructuum, pro rata horarum omissarum: ita scilicet 1. vt omittens integrum officium vnus diei, teneatur restituere fructus respondentés vni diei. 2. vt omittens Matutinum cum Laudibus, teneatur restituere mediam partem fructuum vnus diei. 1. vt omittens horas reliquas, teneatur restituere aliam medietatem fructuum illius diei. 4. vt pro singulis ex illis horis reliquis, teneatur sextam partem dictæ medietatis restituere, vt Pius V. expressè declarauit. Porro restituens fructus tenetur eos, vel in fabricas beneficiorum, ex quibus percepti sunt, vel in pauperum eleemosynas erogare. Si tamen ipse verè pauper sit.



verisimile est eum posse eiusmodi fructus sibi applicare; nisi quando intuitu eiusmodi applicationis futuræ, horarum recitationem prætermittit, vel nisi ex speciali statuto, aut consuetudine fructus prædicti alicui operi determinato sint applicari.

Nota, quòd etsi ex rigore iuris, omit- tens sine legitima causa officium reci- tare vno integro die, videatur priuan- dus omnibus fructibus qui illi debentur ratione vnus diei; quia tamen valdè durum est, quòd quis propter solam o- missionem horarum, non minùs punia- tur, quàm si alias omnes functiones de- bitas prætermitteret; sanè eorum sen- tentia non est improbabilis, qui docent, quando stipendium datur propter plura officia, satis esse quod restitatur dum- taxat ea pars fructus, quæ respondet of- ficio prætermisso: vnde cæteris paribus, minus tenetur restituere Episcopus, aut Parochus, quàm simplex beneficiarius qui ad solam horarum recitationem obligatur.

CONCLUSIO II. Officium di- uinum integrè recitari debet.) Vt hoc intelligas, Nota 1. peccatum esse morta- le, ex communi sententia, vel vnã ex septem horis scienter, & sine rationabili causa omittere; quia præceptum reci-

tandi diuinum officium ex genere suo est de re graui, adeoque per se obligat sub mortali, quemadmodum & præceptum audiendi sacrum, vel ieiunandi: quare ille peccat mortaliter, qui sine legitima causa, notabilem officij partem omittit, qualis censetur vna hora: sicut & ille qui notabilem partem Missæ prætermittit. Imò cum totum officium strictè præcipiatur, authores communiter aduertunt, peccatum esse mortale scienter omittere, vel mediam partem vnius horæ; quia & sapientium & piorum iudicio, à quo periculosum est recedere, hæc censetur pars notabilis.

Nota 2. habere voluntatem non recitandi officium aliqua die, non esse ex se nisi vnum peccatum mortale; siquidem recitatio omnium horarum præcipitur vnico præcepto, quare omnes ita sunt inter se subordinatæ, vt constituent vnum tantum obiectum talis præcepti. Eò tamen peccatum cæteris partibus grauius est, quò plures horæ prætermittuntur, adeoque in confessione declarandum est quot horæ prætermissæ sint. Quòd si quis pluries in die dictum propositum repetit, toties peccat mortaliter, quia velle transgredi præceptum in re graui, est peccatum mortale. Sed quid si an-

re finem diei, propositū mutet, & horas recitet? Respondeo eiusmodi retractationem non impedire, quin antecedens propositum malum fuerit, in genere commissionis prauæ; impedire tamen ne nouum peccatum omissionis à recitante contrahatur.

Nota 3. cum cenferi integrè recitare, qui siue in choro, siue extra chorum alternatim recitat cum alio, vel aliis, dicendo vnā partem, & aliam audiendo. Item eum qui dum alij horas recitant in choro, detinetur aliqua occupatione ad officium necessaria, vt præuidendo lectionem, thurificando, &c. Quod similiter dicendum est de eo, qui ex decentia verbum aliquod profert; aut è cuius naribus sanguis fluit. In iis enim aliisque casibus sæpe contingentibus, non est de necessitate præcepti, supplere quod prætermisum est, saltem si illud non excedat quantitatem vnus Psalmi: quia cum omnes vnū chorum constituent, quod ab vna cātatur, cenferur recitari ab aliis. Addunt aliqui, nec pulsantem organa, nec respondentem in choro teneri ad recitandam illam partem officij, quam organum pulsat: quia Ecclesia habet sonum organi vocis, eumque vt partem diuini officij approbat.

Nota 4. interruptionem non obstare

integritati officij, non modo quando fit ex rationabili causa, & ad breue tépus, sed etiam quando fit ad longú tempus, & sine causa legitima: vt si quis mane interrumpat Primam, vt fabulis vacet, habeatque intentionem reliquum supplendi eadem die: quia etsi physicè loquendo, ex duabus medietatibus tam longo temporis interuallo inter se diffitis, non constituitur vna hora: ob intentionem tamen illam præcedentem, ex ii moraliter vna hora constituitur; adeoque non peccat mortaliter, qui priorem partem manè recitatam non repetit, sed tantum posteriorem quæ fuerat omissa, recitat: quamuis negandum non sit; quin sine causa officium notabiliter interrumpere, sit quædam irreuerentia à culpa veniali minimè immunis. Hinc autem collige, eum qui aliquã partem horæ prætermisit, satisfacere obligationi, si intra eundem diem partem omissam recitet, neque iteret quod iã dictum fuerat

Nota 9. peccatum esse, voluntariè verba omittere, aut truncare, quia sic officium non est integrum. Quare si defectus ille sit grauis ita vt notabilis partis officij sensus corrumpatur, peccatum est mortale. Non tamen vt præcepto satisfacias, teneris ita recitare, vt actu

teipsum audias : quia aliàs si surdus es-  
ses, aut ingens fieret strepitus, non pos-  
ses hoc officium persolvere. Sufficit ergo  
quòd verba ita distinctè proferas, vt  
possis ea audire, ex hypothesi quòd  
nullum impedimentum externum adsit.  
Nota 6. quando recitas cum socio, te  
satisfacere recitando alternatim Psal-  
morum versus, etsi nihil ex aliis quæ  
supersunt dicas, modo socium ea reci-  
tantem audias. Et ratio est, quia inter-  
dam in choro ea ab vno tantum dicun-  
tur, reliquis audientibus. Non tamen  
satisfacis, si dum tu vnum versum reci-  
tas, socius alium, etiam te aduertente  
proferat quia cum socium adiungas, vt  
nomine tuo mediam officij partem, quã  
alioqui per teipsum persolvere debebas,  
reciter; quemadmodum tu non poteras  
duos simul versus proferre, sed vnum  
post alium; ita, vt per illum satisfacias,  
necesse est vt te dicente, ille taceat, & vi-  
ce versa. Præsertim cum simultanea il-  
la recitatio ab vsu Ecclesiæ sit prorsus  
aliena. Nec refert quòd præcepto reci-  
tandi officium, & Missam audiendi pos-  
sis simul satisfacere, ex communi sen-  
tentia, non enim est par ratio, quia audi-  
tio Missæ non substituitur in locum cuius-  
dam recitationis à te aliàs peragenda.

DE IVSTITIA. CAP. II. 179

Nota 7. etsi ex multorum sententia, satisfacias præcepto, sine legitima causa immutando officium : ita vt verbi causa, recites de feria, quo die officium recitandum est de sancto: oppositum tamen esse tutius, & probabilius. Cuius ratio est, quia non tantum præcipitur, vt quolibet die officium recites, sed etiam vt, iuxta temporis varietatem, officium varietur; quare non satisfacias, nisi etiam hunc modum obserues. Confirmatur, quia alias satisfaceres, toto anni tempore recitando officium Paschale, etsi longè breuius quod dici non potest. Puto tamen eum qui ex inaduertentia, officium immutauit, non peccare etsi officium proprium illius diei non recitet: maximè si ob occurrentes occupationes, nimis graue sit illud recitare.

CONCLUSIO III. Vt satisfiat præcepto recitandi horas canonicas, attentio quædam interna necessaria est.) Quod vt intelligas, obseruandum est attentionem esse duplicem, externam, & internam. Externa dicitur, quando recitans ita se gerit exterius, ac si verè animo attenderet ad ea quæ dicit; adeoque abstinere ab omni opere externo, quod cum interna intentione cohærere non potest; qualia sunt scribere, pingere, lu-

dere, &c. Interna verò habet locum, quando horas persoluens, animo præsens est ad ea quæ renitat. Quod tripliciter contingere potest. 1. ita vt tantum attendat ad verba. 2. ita vt attendat ad sensum verborum. 3. ita vt attendat ad Deum, vel ad aliquod fidei nostræ mysterium.

Hoc posito, multi viri graues & pii dicunt, vt quis satisfaciât præcepto Ecclesiæ, de recitatione horarum canonicarum, sufficere attentionem illam externam neque ad hoc requiri internam; eò quòd Ecclesia non potest iudicare de interioribus. Quare sicut non potest punire defectum attentionis internæ, ita neque eiusmodi attentionem præcipere posse videtur.

Oppositum docent alij magis communiter, tum quia vt patet ex cap. dolentes, de Celebratione Missarum, Concilium Lateranense præcipit, vt officium recitetur studiosè pariter & deuotè; at recitare officiũ deuotè, est illud recitare cū interna attentione: siquidem deuotio est actus internus Relig. ex suprad. & externa compositio sine animi attentione, est potius mera deuotionis simulatio, quã vera deuotio. Tum quia Ecclesia præcipit recitationem horarum, tanquã

veram orationem, qua clerici cum Deo colloquantur, & ab eo pro fidelibus gratias impetrent: at sine attentione interna, non est verum colloquium cū Deo, nec vera oratio. Ergo eiusmodi attentio cadit sub præceptum.

Et ad fundamentum sententiæ oppositæ respondent, etsi Ecclesia non possit directè, & per se primò præcipere actū internum, posse tamen indirectè & per accidens, præcipiendo actum externum virtutis, qui sine interno subsistere nequit. Quia alias præcepto audiendi Missam satisfaceret, non modo qui sine vlla attentione, sed etiam qui cum intentione irridendi diuina ei interesset, quod nimis absurdum est.

Quod verò dici solet, Ecclesiam non iudicare de occultis, ita explicant vt sensus sit, Ecclesiam non ferre sententiam in particulari, propter solum defectum actus interioris quem præcipit, eo quòd eiusmodi defectus per testes probari non potest. Posse tamen ferre sententiam in communi, contra eos, qui neglexerint actum interiorem, relatum ad exteriorem quem præcipit, vt vel ex praxi Ecclesiæ colligi potest; siquidem excommunicantur qui hoc, aut illud credūt, aut non credunt. Item



qui ex amore, vel odio non inquirunt in hæreticos, &c. Atque hæc posterior sententia, vt est longè communior, & tutior, ita videtur probabilior, & in praxi sequenda.

Notandum tamen illius rigorem valde temperari à Neotericis, cum aiunt 1. ad satisfaciendum præcepto, attentionem virtuales sufficere, adeò vt qui officium incipit animo attendendi, verè satisfaciatur, etsi statim distrahatur, eaque distractio duret vsque ad finem officij; modò illa directè, aut indirectè non sit voluntaria. 2. vnã ex dictis attentionibus internis sufficere ad satisfaciendum præcepto, quia verba proferens cum tali aliqua intentione, quæcunque sit, verè censetur orare. Vnde solum attendens ad verba, non peccat, quia non tenetur orare, meliori modo quo potest.

Notandum præterea, vt quis contra allatam resolutionem peccet, non satis esse quòd officium recitans aduertat se alia cogitare, sed requiri vt obseruet se talia cogitando, distrahi ab oratione; sicque in tali distractione voluntariè perseueret. Quòd si in fine Psalmi, vel officij animo attendendi bona fide inchoati, aduertit qui se toto recitationis

tempore fuisse distractum, non tenetur ille officium repetere. Imò male ageret repetendo, quia locum daret scrupulis, quorum occasiones omninò relinquendæ sunt.

CONCLUSIO VI. Variæ sunt causæ à recitatione officij excusantes.) Eæ omnes ad tria capita reduci solent, Primum est impotentia. siquidem ad impossibile nemo tenetur. Hinc cæcus excusatur non recitando, cum ad recitandum visus sit necessarius. Excusatur etiam qui ob ægritudinem non potest, sine graui nocumento recitare. Item carentia breuiarij est causa sufficienter à recitatione excusans.

Verùm circa hanc causam quædam notanda sunt i. eum qui non potest recitare totum officium, debere recitare maiorem illius partem, si potest: si tamen non potest recitare nisi minorem partem ad nihil teneri, tum quia maior pars videtur ad se trahere minorem, tum quia aliàs daretur locus scrupulis animique perturbationibus; quia infirmus quauis grauius ægrotet, facile poterit dubitare, nū possit sine graui incommodo, vnam aut alteram ex horis minoribus persolvere: neque hac in re quidquam certi determinari poterit.

Hoc autem nimis durum videretur, & à suauitate legis Euangelicæ alienum.

Notandum 2. in dubio, an possit ægrotus maiorem officij partem, damno notabili recitare, standum esse iudicio medici in arte sua periti, & timorati. Quòd si medicus, statu morbi accuratè perpenso. dubius manet, num recitatio grauiter nocitura sit, nec ne, nonnulli putant infirmum non excusari tunc à recitatione; eo quòd obligatio præcepti est circa, & causa excusationis dubia. Oppositum tamen est communius & probabilius, quia non modo graue damnum certò euentarum, sed etiam probabile periculum illius, est causa certa excusationis, à præcepto recitationis horarum, sicut & à præcepto ieiunij. Porro defectu medici, ægrotus stare potest iudicio sui superioris; & si neuter adsit, arbitrio alicuius viri prudentis; eoque deficiente dictamini propriæ conscientix.

Notandum 3. eum qui non potest officium solus persoluere, teneri illud recitare cum socio, cuius habet copiam si eo modo sufficienter iuuari potest, ad præceptum implendum. Tunc enim cessat impotentia, à recitatione excusans; quia quod per amicos possumus,

illud per nosipfos posse censetur. Et nulla ratio est, cur simpliciter censeamur impotentes, ad impletionem alicuius præcepti, quando nobis suppetunt media facilia ad illud exequendum. Vnde colligi potest, non modo beneficiarum, sed etiam clericum carentem beneficio, debere in casu iam dicto socium adhibere, si possit illius habere copiam, siue gratis, siue oblato moderato stipendio. Quia hoc medium est satis facilè ad executionem præcepti, respectu illius qui habet vnde socium, sine graui incommodo conducere possit. Aliqui tamen nolunt hoc extendi nisi ad beneficiarios, quia illi teneantur ex iustitia horas recitare, tenentur etiã aliquam fructuum partem, si opus sit impendere pro executione talis præcepti.

Secundum caput continet grauem & repentinam occupationem occurrentem, quæ non potest sine graui damno, aut scandalo prætermitti, vel differri neque cum recitatione officii cohærere: tunc enim omnium consensu, adest causa rationabiliter excusans à recitatione officij; quia præceptum humanum non censetur cum tanto rigore obligare. Vnde interdum excusantur Concionari-

tores, Confessarii, & Doctores quando non possunt officium recitare, nisi conciones, confessiones, & lectiones cum magna populi offensione, vel cum nota Religionis, aut propriæ personæ prætermittant.

Nota hæc debere intelligi, de occupatione repentina & non præuisa; qui enim manè præuidet, se reliquo die impediendum, quo minùs officium possit recitare, tenetur recitationem anticipare, si ad hoc satis superest temporis. Præceptum enim recitandi officium obligat pro tota die, & qualibet hora diei impleri potest, ut vel ex eo patet, quia omnium consensu, qui etiã sine legitima causa officium integrum mane recitauit, non tenetur postea illud repetere: si ergo præceptum illud pro toto die obligat, & validè qualibet diei hora impleri potest; nulla est ratio, cur non teneatur manè officium anticipare qui præuidet postea se impediendum ab illius recitatione.

Tertium caput causarum ab officio excusantium, continet dispensationem quæ à summo Pontifice dari potest; eo quòd obligatio recitandi horas canonicas est solùm de iure Ecclesiastico. Episcopus tamen non potest propriè in

DE IUSTITIA. CAP. II. 187  
hoc dispensare, quia non spectat ad in-  
feriorem, dispensare in lege sui superio-  
ris. Dico propriè, nam quando dubium  
est, an clericus teneatur officiũ recitare,  
potest Episcopus declarare eum non te-  
neri, si verè existimet sufficientem cau-  
sam excusationis subesse: atque ita legẽ  
Ecclesiasticã interpretari, potius quàm  
in ea dispensare. Hocque proportionẽ  
seruata, applicari potest Prælati Re-  
gulatiũ, in ordine ad suos inferiores.

CONCLUSIO VII. Vt quis  
distributiones quotidianas, choro assi-  
stentibus destinatas percipiat, non suffi-  
cit quòd priuatim horas recitet, sed re-  
quiritur vt choro intersit, nisi legitima  
de causa ab eo onere excusetur. Vt hoc  
intelligas, supponendum est illud esse  
discrimen inter fructus beneficii, de  
quibus suprà egimus, & distributiones,  
quòd per fructus intelligi solent annui  
reditus, ob titulum beneficii alicui cõ-  
cessi, per distributiones verò intelligen-  
tur quidam proventus, qui beneficiariis  
eo titulo distribuuntur, quia diuinis of-  
ficiis in Ecclesia intersunt. Quo posito,

Dicendum est, ex communi senten-  
tia, beneficiarios choro non assistentes,  
priuari distributionibus vt patet ex sta-  
tuto Bonifacii VIII. in cap. vnico  
de Clericis non residentibus in. 6. quod

fuit renovatum à Concilio Tridentino  
 sess. 24. cap. 12. de reformat. his ver-  
 bis, Distributiones vero qui statis ho-  
 ris interfuerint, recipiant, reliqui qua-  
 uis collusione, aut remissione exclusa  
 his careant, iuxta Bonifacii VIII. de-  
 cretum quod incipit, Consuetudinem:  
 quod sancta Synodus in vsum reuocat,  
 non obstantibus quibuscunque statutis,  
 & consuetudinibus. Hæc porrò sic in-  
 telligenda sunt, 1. vt beneficiarius à  
 choro illegitimè absens, priuetur  
 distributionibus, etiam ante quamcun-  
 que iudicis sententiam: cum enim ea-  
 rum dominium non acquirat, neque eas  
 retinere potest. 2. vt qui primis sex mē-  
 sibus à possessione beneficii, diuinis of-  
 ficiis in choro non assistit, priuetur di-  
 stributionibus tali tempore responden-  
 tibus; esto fructus beneficii ei, iuxta su-  
 pradicta, non denegentur. 3. vt distri-  
 butiones amittantur, etiam illis tribus  
 mensibus, quibus aliquis vnoquoque  
 anno, iuxta facultatem à Cōcilio Tri-  
 dentino loco citato concessam, ab Ec-  
 clesia abest.

Quæres 1. quibus accrescant distri-  
 butiones, & fructus quos beneficiarii  
 ob absentiam à choro amittunt. Res-  
 pondeo 1. adhibita distinctione, nam

distributiones ordinariæ & propriè dictæ quæ scilicet sumuntur ex communibus beneficiorū redditibus, iis accrescunt qui choro interfunt quo tempore alij absunt; non autem iis qui resident, quando ipsa diuisio distributionum peragitur. Distributiones verò extraordinariæ & impropriæ, quæ videlicet non sumuntur ex communi massa, sed de fructibus particularibus alicuius beneficii, ab iis tantum lucrandæ, qui talia beneficia possident, modo officiis diuinis assistant: eiusmodi inquam distributiones, quando amittuntur, non accrescunt iis qui choro interfunt, sed ad arbitrium Ordinarij, fabricæ Ecclesiæ, vel alteri pio operi applicari possunt.

Respondeo 2. hæc ita debere intelligi, vt distributiones amissæ ad eos tantum spectent, qui verè & actu choro interfunt, non autem etiam ad eos, qui iuris fictione censentur adesse, quatenus ex legitima causa absunt; siquidem legitime absentibus iura concedunt solum distributiones proprias, quæ ipsis si residerent, obuenturæ essent; neque vlla sit mentio distributionum, quæ ab absentibus amittuntur: quare priuilegiū ipsis concessum, maximè cum sit odiosum, ad eas extendi non debet.



Respondeo 3. eos qui officio interfunt, quique proinde habent ius ad distributiones prædictas, non posse licitè, eiusmodi distributiones absentibus remittere; quia Cõcilium Tridentinum talem remissionem annullat, verbis illis antea relatis, Reliqui quavis collusionè, aut remissione exclusa, his careant. Unde absentes tenentur prædictas distributiones restituere, non quidem remittentibus, sed Ecclesiæ.

CONCLUSIO VIII. Variæ sunt causæ, quæ sufficiunt ut beneficiarius à choro absens, distributiones lucratur.) Tres assignat Bonifacius VIII. loco superius relato, nempe infirmitatè, rationabilem corporis necessitatem, & evidentem Ecclesiæ utilitatem; de quibus pauca observanda sunt.

Prima causa est infirmitas, non quæcunque, sed gravis, qualis censetur non tantum illa quæ in se gravis est, sed etiam quæ iudicio medici, aut viri prudentis ingrauesceret, si quis choro interesset. Modo tamen ea sit causa absentia: nam infirmus qui ex hypothesi quòd non ægrotaret, choro minimè interesset, non adest ratione infirmitatis; adeoque non habet ius ad distributiones absentia respondententes.

## DE IUSTITIA. CAP. II. 191

Secunda causa est, iusta & rationabilis corporis necessitas, ut si cui ex assistentia immineat graue damnum, siue in corpore, siue in bonis fortunæ, siue in honore: non enim verisimile est, piâ matrem Ecclesiam priuationis distributionum pœnam iis imponere, qui ex tam legitima causa, à choro abesse coguntur; modo per ipsos non stet, quin tale impedimentum tollatur. Hinc non amittunt distributiones, qui ob timorē pestis in loco beneficij grassantis, à choro absunt; vel qui compelluntur nō assistere ne alios peste inficiant. Item neque illi qui è loco residentiæ fugiūt, ne ab iniurico quem sedare non possunt, occidantur, aut grauiter vulnerentur. Neque etiam illi qui non intersunt diuinis, quia sunt excommunicati, si talis excommunicatio iniusta est, imò et si iusta sit, si petant absolutionem ab illa, eaque illis iniuste denegetur; quia tales habentur ac si iniuste essent excommunicati. An autem iuste excommunicatus diuinis assistens, fructus, & distributiones lucretur, dubitari potest. Non pauci affirmant, quia nullus extat textus, vnde constet eū ipso iure fructibus, & distributionibus priuatū esse; esto peccet, & eatenus mereatur priuari emolu-

mentis, officio præstito respondentibus. Et hoc proportione seruata ad suspensionem, & interdictū applicari debet.

Tertia causa est, euidens Ecclesiæ utilitas, quod de propria Ecclesia intelligi solet, vt si quis ad defendenda suæ Ecclesiæ iura absit, aut deputetur à Capitulo ad sumendas rationes bonorum, & reddituum illius, huicque negotio tempore diuini officii vacare tenetur. Imò deputatus non priuatur distributionibus, quamuis negotia ex commissione Capituli suscepta, posset expedire extra officiorum tempora, eaque non peragat, nisi officiorum tempore: quia utitur iure suo, & verum est eum simpliciter, quandiu alii choro intersunt laborare pro utilitate suæ Ecclesiæ. Si tamen munus demandatum, quod tempore diuinorum exequi poterat, ante illud tempus perficiat, & choro non inrerit, dici non potest eum tunc lucrari distributiones; cum verè non absit, ob utilitatem suæ Ecclesiæ.

Nota, iam dicta communiter intelligi de eo qui abest à choro, ob utilitatem propriæ Ecclesiæ, non autem si absit ob utilitatem alienæ Ecclesiæ. Vnde variis casus facilè resolui possunt. In primis enim hinc constat Canonicū qui

qui

qui simul est Vicarius Capituli, lucrari distributiones, si absit à choro, ut munus Vicarii exequatur; quia hoc redit in utilitatem propriæ Ecclesiæ. Constat 2. oppositum dicendum esse de Canonico qui est Vicarius Episcopi, nam etsi ille quandiu Episcopo inseruit, fructus Canonatus percipere possit, nō tamen distributiones quotidianas, absentia à choro respondententes; quia non censetur abesse ob utilitatem specialem propriæ Ecclesiæ, cuius est Canonicus; sed ob utilitatem generalem totius diocesis. Quod tamen intellige, per se loquendo, & nisi obstet opposita consuetudo legitime præscripta, aut nisi totus reditus Canonatus in distributionibus quotidianis consistat; quia tunc Vicarius absens lucratur distributiones, deducta tertia earum parte, ne privilegium quo excusatur à residentia, maneat inutile.

Constat 3. Canonicum Pœnitentiariū lucrari fructus, & distributiones, quando in propria Ecclesia confessiones audit, vel pœnitentes expectat, aut ante, vel post confessionem, de rebus ad salutem animæ spectantibus eos instituit; quia hoc totum cedit in utilitatem & honorem propriæ Ecclesiæ, & aliunde ad munus audiendi confessiones ordi-

de Iust. I

natur; quare id sufficit, vt tunc Pœnitentiarius choro præsens esse censeatur. Et idem dic, tam de eo qui subrogatur in locum Pœnitentiarij absentis, aut mortui, quam de eo qui ex mandato superioris destinatur, vt eum in cõfessionibus excipiendis iuuet. Quanquã probabilius sit. Canonicos qui ex deuotione, tempore diuini officij confessiones audiunt, non censi præsentibus choro, adeoque distributiones non lucrari.

Constat 4. Canonicum habentem beneficium Parochiale, lucrari quidem fructus sui Canonatus, quandiu Parochiæ deseruit, non tamen quotidianas distributiones, absentia à choro respondententes. Et ratio est, quia ille non abest ob utilitatem Ecclesiæ, cui in Canonico ascriptus est, sed alterius cuius curam habet. Constat. 5. Theologum Ecclesiæ Cathedralis, aut Collegiatae lucrari distributiones, si absit à choro vt legat, vel concionetur in propria Ecclesia; non autem si illa alibi peragere debeat. Constat. 6. absentem causa studii, percipere quidem fructus, non tamen distributiones; quia non est euidens, quòd tale studium cessurum sit in utilitatem propriæ Ecclesiæ.